



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Caduceus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

Abro circumducto limbo: Parmæ medium occupabat orbis luteus, in quo Angues purpureæ rubro coalitæ fulcimento, ad osculum in circuli se formam incurvabant.

BATAVI. CAP. XXXV.

Horum focii erant, qui cæruleos gestabant Angues in caducei morem flexos, in parma tota rubra. Anguium vero pedamentum album erat, veluti squamis acutis quatuor altera super alteram scandentibus, quarum apices inferne summittebantur. Batavi autem erat eorum nomen.

MARCOMANI JUNIORES. CAP. XXXVI.

Iis additi erant Marcomani juniores, qui & ipsi caducei formam præferabant: Albas quippe Angues in clypeo rubro, cuius margo albo circumplectebatur circulo, qui fundamentum ad Angues usque coloris ejusdem proferebat.

MARCOMANI SENIORES. CAP. XXXVII.

Neque quidem hinc aberant seniores Marcomani, qui hunc eundem secuti præfectum, prasinas habebant caducei colubras in alba parma, quam luteus ambibat circulus, rubra vero erat fedes pro fulcro supposita, cui applicitæ erant colubræ.

ATECOTI JUNIORES. CAP. XXXVIII.

Ordinibus his adnumerabantur illi quoque, quorum gestamen erant Angues ex caduceo luteæ, cum rubro pedamento in cærulea parma dilutiore, quam margo ruber ambibat: intra ambitum Anguium figura cordis erat coloris purpurei. Hi vero Atecoti juniores appellabantur.

EXCULTATORES. CAP. XXXIX.

Unus etiamnum ordo caduceatus eundem Magistrum peditum sequebatur, quibus nomen erat Excultatoribus. Gestabant ii caduceum ex luteis Anguibus auritis, quorum terga crispis acutioribus inhorrescebant. Alba erat parma, quam margo ruber amplectebatur.

BRACHATII. CAP. XL.

Qui vero sub Magistro equitum caducei gestamen usurpabant, albas præferabant colubras, cum pedamento identidem albo in parma prasina, quam ruber ambibat limbus, hique Brachati vocabantur. Reliqua vero insignia, quæ innumera pene sunt, per commentaria cæterorum animalium, ut loco quæque congruebant, singula disposita sunt: partim in arma & signa reliqua militaria congesta. Nunc quia res nobis cum Angue est, & in caduceum incidimus, satis habituri sumus, si reliqua caducei significata Commentario hoc explicuerimus.

DE CADUCEO. CAP. XLI.

Caducei species tota prorsus Ægyptiaca est, quam Mercurio præcipue veteres consecrarunt, Draconibus duobus, mare scilicet & femina, parte media voluminis sui invicem in nodum, quem Herculis vocant, obligatis: quorum primæ partes reflexæ in circulum pressis osculis ambitum circuli jungunt, caudæ vero ad Caducei capulum revocantur, ornanturque alis ex eadem, capuli parte nascentibus.

GENESIS. CAP. XLII.

Argumentum hujus hieroglyphici commenti ad genituram hominis, quæ genesis appellatur, ^{Hominum} Ægyptii protendunt, deos præfides homini nascenti quatuor esse memorantes, ^{nasivitatia} *δαμωνα, ἠ-
πρασίδες* ^{presides} *χλω, ἠρωτα, ἠγὴ ἀνδρῶν τε.* Ac priores duos Solem & Lunam intelligunt: quod Sol author spiritus, ^{quod, &} caloris & luminis, humanæ vitæ genitor & custos est, ideoq; nascentis dæmon creditur. Luna ^{qui.} *ἠχὴ,* quia corporum præses est, quæ fortuitorum varietate jactantur: Amor osculo significatur, Necessitas nodo: pinnae mentis velocitatem indicant, qua perniciosus nihil. Involverum vero Draconum, iter utriusque flexuosum ostendit: quæ omnia & pleraque alia Macrobius diligenter examinavit, à quo, quæ diffusus quis exponi quæ fieri, petendum. Occultam sane rerum originem per Serpentis ^{Ex Macr.} effigiem Valentiniiani commonstrabant, positionem intestinorum nostrorum, per quæ esca infertur, ^{lib. 1, c. 19.} in exemplum adducentes, quæ serpentina spiræ instar in utero delitescens, occultatæ in nobis genitricis substantiæ specimen habeat. ^{Sap.}